Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 129
Quelle:
Copyright:

LXXXII.

R. 2164 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 104. f. per duas columnas luculente, nitideque ſcriptus, et coloribus illuſtratus *Evangeliarium* eſt, praemiſſo cuivis Evangeliſtae Argumento illo hiſtorico, quod vulgo in *Bibliis gloſſatis* habetur. In prioribus III. *Evangeliis* ad paſſionem Domini monuit Miniator in margine: *Non legitur*; in Miſſis videlicet de Tempore, aut de Sanctis per annum. Id ipſum monuit etiam ridicule ad memorata Argumenta hiſtorica. In fronte cujusvis Evangelii aderat Icon picturata Scriptoris. Arriſit *Marcus* et *Johannes* maleferiato cuidam, cujus impias forfices integrae membranae ſecutae ſunt. Mallet quis exſectum *Lucam*, quem aevi ruditas, ut *Apin Aegyptiorum*, capite vitulino radiato repraeſentavit.

LXXXIII.

R. 355 Codex chartaceus ſlav. lingua literali, Sec. XVI. Folior. 356. fol. max. literis cyrillicis luculentis elegantiſſime perſcriptus, auroque et coloribus ſplendidus *Evangeliarium* eſt e Graeco, ut ſolet, converſum. Evangeliſta quivis praemiſſum habet *Lectionum* Elenchum, et *Theophylacti Bulgaror.* Archiep. Praefationem pariter e Graeco traductam, *Matthaeus*que orditur *fol.* 7. *Marcus fol.* 101. *Lucas fol.* 165. *Johannes* demum *fol.* 267. Ante *Lucam fol.* 164. p. 2. docemur: Codicem hunc argento ornatum et oblatum fuiſſe Monaſterio *Xiropotamienſi* SS. XL. Martyribus *Sebaſtenis* dicato a *Petro Moldaviae* Principe *Stephani* filio anno O. C. 7043. 21. *Nov.* id quod anno Chr. 1535. et 1. *Dec.* reſpondet. Additur Ἀνάθεμα pro hoc et altero Seculo in eum, qui Librum abſtuliſſet, aut argento ſpoliaſſet. Interim tamen argentum ὀιχεται. *Fol.* 339. ſuccedit *Calendarium* eccleſiaſticum XII. Menſium recenſens feſtos Eccleſiae orientalis ab Latina abjunctae Dies, docensque, quaenam Evangeliorum Περικοπαι in ſingulis legi debeant.

LXXXIV.

Codex chartaceus ſlav. lingua R. 356 literali, Sec. XVII. Folior. 354. fol. max. iisdem literis, eodemque cultu magnificus, aliquantum tamen, licet junior, minus bene ſervatus, ejusdem rationis *Evangeliarium* eſt, in quo *Matthaeus fol.* 8. *Marcus fol.* 100. *Lucas fol.* 162. et *Johannes fol.* 263. orditur. Praecedentem in eo ſuperat, quod ante ſingula Evangelia depictus Autor, et *Matthaeus* quidem membranam aptans, *Marcus* ſcriptam examinans, *Lucas* ſcribens, *Johannes* vero dictans exhibetur. Adeſt ſub finem *Calendarium*, ut ſupra. Fata hujus Codicis gemino loco enarrantur; primo quidem *fol.* 354. p. 2. *Monachiam* (ſic) *Mariam* eum ſcribi, argento et auro, quod pariter nunc evanuit,